

05

A

2441





DISSERTATIO¹⁷
THEOLOGICA.

De

CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ
MEDIATORE NOSTRO
UNICO.

Quam

Annunte DEO Ter Optimo Maximo.

SUB PRÆSIDIO


Viri Excellentissimi atq; Clarissimi,

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
SS. Theol. D. & Professor Publ. Præceptoris ac
Promotoris sui æternum suspiciendi atque
honorandi.

Examinandam proponit

M. NICOLAUS JACOBI Reichen-
bacensis Variscus.

*Habebitur adjuvante Domini Spiritu ad diem 17. Novemb.
In Auditorio Collegii Friderici.*



WITTEBERGÆ,
Excudebat, Augustus Boreck, Anno 1624.



DISSERTATIO.

DE CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ ΜΕΔΙΑ-
TORE NOSTRO UNICO.

Σὺν Θεῷ.

Thesis I.

CHRISTUS Græcis Unctum denotat; Quo
nomine JESUS, DEI & Mariæ ἀειπαρθεύς Filius indi-
gitatur: quod oleo lætitiæ præconfortibus suis teste Psal.
45. unctus est.

II.

Non verò oleo externo, sicut Reges & Sacerdotes V. T.
ungi solebant, qui typum illius gesserunt. Quia non Rex mun-
danus; ut ipse apud Johannem testatur, aut Sacerdos Leviticus
fuit.

III.

Sed sicuti à Patre suo cœlesti constitutus est Rex spiritualis
in monte Sion spirituali, h. e. Ecclesia DEI hoc toto terrarum
orbe collecta, Psalm. 2, 6. Et Sacerdos æternus secundum ordi-
nem Melchisedec, Psalm. 110, 4. ita quoque Spiritu sancto præ-
confortibus suis non ad mensuram à Patre suo cœlesti unctus
est.

IV.

Hocque factum eam ob causam, quia Caput nostrum est,
ut ex ejus plenitudine nos omnes accipere & in ipso completi
esse possemus, Joh. 1, 16.

V.

Nec enim Deitas in ipso ut in aliis sanctis per gratiam par-
ticularem manet: debuit enim in omnibus τὸ πᾶν εἶναι, ut ita in
ipso habitet omnis plenitudo Deitatis corporaliter, Col. 2, 9.

VI.

Quia verò Christus Salvator noster teste Psalmographo Psal. 118, 22. & vaticinium hoc Simeone repetente Luc. 2, 34. Positus est *εἰς τὴν ᾠάν καὶ ἀνάστασιν* multorum in Israel, & in signum cui contradicitur, cauti & solliciti simus, ne in illorum numero, quibus positus est in ruinam, inveniamur, sed potius nos iis adjungamus, quibus positus est in resurrectionem Beatus enim inquit ipse Servator Matth. 11, 6. quisquis non fuerit in me offensus.

VII.

Quam beatitudinem haud difficulter assequi poterimus, si juxta Sacrae Scripturae ductum & documentum. Christum tanquam centrum fidei nostrae oculis mentis intueamur atque introspiciamus, quemadmodum ipse in cognitione sui *μακαροποίητα* veram *καὶ ζωὴν αἰώνιον* consistere expressè asserit Johan. 17, 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te verum DEUM, & quem misisti Jesum Christum.

VIII.

Hujus autem perfecta & salutaris *γνώσις* duobus potissimum capitibus absolvitur: ut nimirum 1. ratione Personæ, 2. ratione officii sui ex sacris literis recte riteque cognoscatur.

IX.

Quocirca etiam nos hac vice divina adjuti, & confirmati gratia Christum primum ratione Personæ suæ considerabimus, cum is qui Personam Christi ignorat de officio convenienter & commodè sentire atque statuere non possit: Huic postea cognitio officii subnectenda erit, cum sine hac nuda cognitio Personæ salutem & hominibus non conferat.

X.

Statuimus ergò prælucente Sacrae Scripturae face splendidissima cum Orthodoxa Antiquitate & nostratibus Theologis celeberrimis CHRISTUM ratione Personæ simul verum & Essentialem DEUM, verumque Hominem ex duabus Naturis Divina & Humana constare, easque sibi invicem personali unionem ita copulatas esse, ut in æternum, in divulsæ indissolubilesque maneat, atque sic unam tantum Personam unumque Christum *Ἰεσὺν Χριστὸν* constituent.

Ex

XI.

Ex qua postmodum Unione ineffabili & planè admirabili
duarum Naturarum *ὑπεχώρησις* & immeatio intima consecuta
est, ut ea quæ *πρώτως λόγῳ* Filio D E I competunt, *δευτέρως* re-
vera de Humana Natura prædicentur, quæ in personam *ἢ λόγῳ*
est assumpta, & quæ Humanæ Naturæ propriè competunt, pro-
pter arctissimam unionem etiam Filio D E I tribuantur, hinc et-
iam ab Ecclesiasticis Doctoribus tria communicationis idioma-
tum genera constituta sunt videlicet *ἰδιοποίησις, μεταδόσις, ἢ κοι-
νωνία τῶν ἐνεργειῶν*, ubi tertio hoc genere ea explicantur, quæ ad
officium Christi Mediatoris potissimum pertinent, de quo hic
nobis in posterum sub finem sermo erit.

XII.

Ut autem de hac materia tam ardua tamque gravi cum fru-
ctu & utilitate aliquid differamus, de tribus distinctis nobis in
hac diatribe agendum erit: 1. Quod Christus revera sit *θεάνθρω-
πος*, hoc est, D E U S & Homo in una individua persona. Isque
2. sit revera *μεσίτης καὶ ἰκέτης ἡμῶν* secundum utramque Natu-
ram divinam & humanam, quique pro omnibus actualibus
peccatis plenissimè ut Mediator unicus satisfecerit: ac tan-
dem 3. quod pro omnium hominum peccatis sufficientissimum
λύτρον persolverit.

XIII.

Primum autem ante omnia necessarium & operæ pretium
est, ut Christi Servatoris nostri divinitatem ex Scripturæ oracu-
lis certissimis fundamentis aliquot *ἀνευσιτότοις καὶ ἀναντιλέκτοις* ad-
versus quasuis hæreticorum machinas demonstremus: Quia
hæc à perversis multorum seculorum hæreticis imprimis verò
ab Ebione & Cerintho tempore Johannis impugnata atque ne-
gata fuit, quem etiam errorem hodiernis temporibus moderni
hæretici Photiniani seu Ne Arriani interpolant, atq; cum mul-
torum detrimento ex orco revocant, qui Christum Servatorem
nostrum tantum D E U M nuncupativum, & Prophetam à DEO
edoctum, & ad voluntatem divinam hominibus manifestan-
dam à DEO missum esse (ut eorum scripta testantur) blaspheme
asserunt & temerè effudiunt.

A 3

His

XIV.

His igitur ut maturè occurramus, & fidem nostram de Christi Persona illibatam atque intactam retineamus, solidissima quædam fundamenta *ὑποδείκνυσι* Divinitatem Servatoris nostri astruentia è Sacra Scripturæ promptuario locupletissimo de promenda sunt, quæ trium potissimum generum esse solent, quæ pro Divinitate Christi asserenda nostrates in medium proferre solent, quæ paucis hoc loco annotabimus.

XV.

Primum igitur fundamentum ad Divinitatem Christi astruendam desumimus à Nominibus soli DEO propriis.

*I. Argumen-
tum à Nomi-
nibus soli Deo
propriis.*

Cuicumque enim Nomina soli DEO propria tribuuntur, is revera etiam Essentialis & verus DEUS sit necesse est: Atqui Christo in V. & N. T. Nomina soli DEO propria assignantur: Ergò etiam Christum revera Essentialem DEUM esse necessariò consequitur.

Major sua luce radiat. Minorem seqq. dictis statu minamus, ubi Christo Filio DEI nomen *יהוה* DEUS, in N. T. *κύριος* (Dominus) in vero ac genuino sensu attribuitur, quod ex circumstantiis textus, & locorum parallelorum collatione firmissima consequentia colligitur.

XVI.

Circumstantias Textus quod attinet primo omnium notanda est Regula Theologica in ipsis Scripturis fundata ut Quando mentio fit talis Angeli; cui nomen *יהוה* vel divina attributa & opera tribuuntur, tum intelligendus est Filius DEI; & ratio hujus Regulæ est manifesta, quia Pater cum sit à nullo ita etiam à nemine mittitur: Filius autem constitutus ille Mediator, etiam antequam in carne manifestaretur, apparuit Patribus, & cum eis locutus est.

Proinde Angelus ille qui apparuit Agari Gen. 16, 7. & Abrahamæ cap. 22, 11. quid deduxit Israelitas per desertum Exod. 23, 20. qui apparuit Gideoni Jud. 6, 11. fuit DEI filius, Angelorum Dominus & Princeps militiæ cœlestis, & tamen Angelus ille qui apparuit Agari dicitur Jehovah Gen. 16, 13. sic similiter qui
Abra-

Abrahæ Gen. 22, 16. qui apparuit Gideoni dicitur, Jehovahi Jud. 16, 14. Ergò in illis locis Filio Dei tribuitur nomen Jehovahæ similia videantur loca Gen. 21, 17. cap. 31, 11. cap. 48, 15. Exod. 14, 19. Num. 20, 16. cap. 21, 22. Jud. 13, 3. Esa. 63. &c.

XVII.

Deinde collatio locorum quæ apprimè utilis est, & nostrum primum fundamentum solidè corroborat, apertè demonstrat, quæ in V. T. de vero Israëlitis Deo, de vero Jehova dicta, ea in N. T. accommodari ad Christum, quod manifestum Divinitatis in Christo *ένδειγμα καὶ τεκμήριον* est. Sic Num. 14, 22. cap. 21, 5. Israëlita tentant Jehovaham 1. Cor. 10, 9. tentant Christum. Jobus cap. 19, 25. de Christo summa cum *πληροφροσία* dicit: Scio quod Redemptor meus vivit, ille nimirum qui ex inferno nos liberavit. Ose. 13, 14. & excitabit me Joh. 5, 28. de Christo enunciatur: Audient illi qui in sepulchris sunt vocem filii Dei & vivent. Sic Esa. 7, 14. Christum vocat Immanuel: virgo pariet Filium, quem vocabit Immanuel, i. e. nobiscum Deus id Matth. 1, 20. Luc. 1, 31. ad Christum Virginis Mariæ Filium refertur. Similis collatio Ose. 13, 14. cum illo 1. Cor. 15, 35. Ezech. 34, 1. cap. 37, 24. cum illo Joh. 10, 12. habetur &c. Plura de hac collatione legi possunt apud Dn. D. Gerhardum Theologum eximium Tom. 1. Locor. pag. mihi 397, 398.

XVIII.

Tertiò huc spectant ad confirmationem Minoris innumera illa dicta N. T. Vbi Christus vocatur *κύριος* sive Dominus: eo enim nomine 70. Interpretes nomen Jehovahæ exprimere voluerunt, proinde illos secuti Apostoli hoc nomen Christo, ad veram ejus Deitatem significandam attribuerunt Marc. 12, 9. *κύριος* Deus tuus *κύριος* *εἰς ἑστί* Eph. 4, 5. *εἰς κύριος* unus Dominus. Sic 1. Cor. 2, 8. Dominus gloriæ, h. e. Dominus gloriosus hebraismo valde frequenti dicitur. Huc denique referenda sunt loca illa omnia in quibus filius Dei vocatur Deus, Johan. 1, 1. In principio erat Verbum. &c. & Deus erat Verbum, *ὁ θεὸς ἦν ὁ λόγος* ubi articulus ostendit, *τὸ θεῖν* vocem esse prædicatum. Johan. 20, 28. dicit Thomas ad Christum: Dominus meus & Deus meus Act. 20, 28. Deus sanguine suo redemit Ecclesiam. Similia inspiciantur loca Rom. 9, 5. 1. Tim. 3, 16. Tit. 2.

Sed

XIX.

Sed quamvis hæc sint Testimonia Sole meridiano lucidiora attamen Adversarii *χειρόμαχοι*. quia Spiritu vertiginis abrepti sunt & τὸν ναῦν ἐφθαρμένοι καὶ ἰδίαν Ἰπύλυσιν, hæc nomina divina aliter explicare & in alienum sensum inflectere non erubuerunt, quorum *σεβλαὶς καὶ ἀνυλογίας* saltem paucis annotabimus & ex Scripturis confutabimus.

XX.

Primum enim Nomen illud Essentiale D E I Jehova arrodunt, illudque tantum nomen dignitatis, officii aut potestatis, non verò naturæ & essentiæ esse blasphemè clamitant. *Sic enim Smaicius de divina verbi incarnati natura cap. 26. pag. 144. scribit: Vox D E I dignitatis nomen est non Essentiæ, & quicumq; veram divinitatem, h. e. veram potestatem divinam habet, is suo modo verus D E U S est.*

Verùm Smaicius hic extra oleas vagatur, Non enim quæritur an nomen D E I potestatem & eminentiam divinam inferat, ut enim illud omnia D E I idiomata, æternitatem, justitiam, omnipræsentiam &c. consignificando infert; sic etiam potestatem infinitam atque divinam. Sed quæritur hic an nomen DEI in se & quatenus in Scriptura usurpatur, ita sit potestatis nomen ut ne quidem de summo DEO usurpata Essentiam five naturam designet, adeoque is, cui nomen illud imponitur non arguatur ex inde verus & summus esse D E U S. Quod nostrates strenuè hisce innixi rationum monumentis negant atque pernegant.

XXI.

1. *Ufus nominis D E I primarius infert naturæ notam.*

1. Quia usus nominis D E I primarius, qualis præcipuè in Theologia occurrit, indicat, ipsum esse natura notam. Adversarii autem accidentali aliquo & secundario vocis usu significatum universum sinistrè admodum judicant. Quemadmodum enim malè quis colligeret Aries significat instrumentum bellicum. Ergò est vox militaris non armentaria. Sol non est naturæ nomen sed Qualitatis, qui enim præ aliis eximii sunt, frequenter Solis titulo insigniuntur. *Quæ omnia ἀλογα καὶ ἀτοπα* sunt.

XXII.

2. *Nomē DEI notavit natu-*

Deinde hæc *ψευδεργαλῶεια* ex eo refutatur, quia quando controversia de D E O extitit, nomen D E I nunquam notavit officium

officium vel dignitatem, sed semper naturam. Videantur autem de Deo agitatae controversiae quas populus Israel variis idolo-
lomanis subinde profanans movit, an Jehova sit verus Deus, an verò Baal, Moloch &c. Harum certè absurditatem ostendit
Dominus per Prophetam argumento potissimum ab Essentia
petito: 1. Quia Dii gentium sunt opus manum hominum. Ergò verus Deus esse non possunt Esa. 37, 19. Jerem. 16, 20. 2. Quia
dii gentium ex auro & argento &c. Exod. 20, 23. Deut. 28, 64. Esa.
44. 3. Quia omni actuali operatione destituuntur Psalm. 115, 5.
seqq. Psal. 135, 16. seqq. 4. Quia sunt corruptibiles 2. Reg. 19, 8.
Sic Rom. 1, 21. Act. 17, 23.

XXIII.

III. Respondetur, quòd quamvis nomen Dei creaturis tri-
buatur, tamen certo & planè singulari quodam modo soli Deo
competat: 1. Quia Jehova solus dicitur Deus, juxta quem non
sit alius Deut. 32, 39. Psal. 86, 10. Esa. 37, 16. 2. Etiam ipse ut æter-
nus Deus affirmatur esse. Deorum summus. Idque fit partim
quòd appellatur Deus Deorum, partim cum supra ipsum quis-
quam esse negatur Psal. 95, 3. Psal. 96, 4. &c. Corruit ergò glossa
Photinianorum S. Scripturis *dis ἑσθ' πατρῶν* contraria. Quomodo
verò ulterius discernere debeamus nomen Dei & Domini quòd
de Deo, itidemque de aliis usurpetur videatur Dn. D. Nico-
laus Hunnius Præceptor meus honorandus in Examin: Error:
Photinian. cap. 3. pag. 245, 246.

*Nomen Dei
Deo singulari
modo tribui-
tur.*

XXIV.

Porro *θεϊσὺν αγγέλων* etiam ad illa loca excipere solent, in qui-
bus filius Dei vocatur Angelus, qui apparuit Agar & Abraham ut
ex supra citatis locis constat, & ea intellecta volunt de Angelo
aliquo creato, quo mediante Deus Patriarchis apparuerit Ve-
rum enim verò ut in specie illum locum Gen. 28, 19. assumamus,
Jacob Patriarcha locum illum, in quo iuctabatur cum Angelos
vera *ἄγγελος* quia inquit vide Deum à facie ad faciem Gen. 32,
30. ipse ab Angelo vocatur Israël quia Deum ac homines super-
avit ac vicit v. 3. Quapropter etiam illum Angelum filium scili-
cet Dei in vocat, eique templum ædificat ac sacrificia offert. So-
lus autem verus Deus invocatur Deut. 6, 9. cap. 10, 20. Matt. 4, 10.

*An locus Gen.
28, 19. de Je-
hova Angelo
in creato in-
telligendus.*

B

&

& severum extat mandatum Exod. 22, 20. Qui sacrificat diis; præterquam Domino soli excindatur, anathema sit, vel ut anathema excindatur. □□□□ Unde & Angelus detrectat adoratio-
 nis cultum sibi à Johanne oblatum Apoc. 19, 10. Angelus autem
 hic à Jacobo se invocari patitur Gen. 48, 16. Hoc insuper argu-
 unt opera huic Angelo attributa quæ superius commemorata
 sunt utpote 1. liberatio ac defensio Jacobi per vitam Gen. 28, 20.
 cap. 31, 13. 2. Eductio populi Israëlitici ac defensio in deserto
 Exod. 31, 21. cap. 14, 19 cap. 16, 9. cap. 19, 9. 3. Multiplicatio semi-
 nis quod opus solius Dei Gen. 30, 2. Psalm. 127. quod & Angelo
 huic ascribitur. 4. Introductio in terram promissam Exod. 23,
 v. 22.

XXV.

1. *Instantia.*

Sed obstrepunt ἀντιρρησι: 1. Deum in V. T. non locutum esse
 se per filium, sed hoc tanquam peculiare privilegium in N. T.
 allegatur quod habuit præ veteri. 2. quod Deus per Prophetas
 locutus dicitur.

Verum si hæc Instantia aliquid obtineret; sequeretur 1. quod
 major esset perfectio V. de N. T. Nam quando Christus in hisce
 terris prædicavit Evangelium nondum fuit perfectus filius Dei
 ex sententia Photinianorum, sed demum factus est per resurre-
 ctionem & exaltationem. Quantò autem majoris dignitatis
 & excellentiæ est legatus angelicus, quam nudus homo: eò et-
 iam major dignitas & excellentia accedit ad vetus Testamen-
 tum, in quo etiam angeli à Deo missi sunt, qui annunciarunt ho-
 minibus Dei voluntatem. 2. In tota hac Epistola agit Aposto-
 lus hoc unice, ut Hebræis, qui Ceremoniarum ac rituum Mo-
 faicorum nimis erant tenaces, commendet doctrinam N. T. va-
 riis monstratis prorogativis ac privilegiis quibus fruatur præ V.
 T. Ergò non agit de extraordinariis quibusdam Angeli illius in-
 creati ἄκτιστος, de quibus nos controvertimus.

XXVI.

2. *Obiectio.*

Secundo loco ob tendunt ex Johan. 1, 18. 1. Tim. 6, 6. Exod.
 33, 20. Deum nemo vidit unquam, neque vocem ejus audivit.
 Angelus autem hic visus est, vocem ejus audiverunt homines:
 Ergo non est Deus.

Sii

Si hoc simpliciter & absolute statuunt Photiniani transi-
gant cum tota Scriptura, quæ tales *Ἰεσοφανείας* ac colloquia cum
hominibus sæpissime describit. 2. Illa allegata dicta non negant
omnem Dei visionem, sed solummodo perfectam & adæqua-
tam. Deum enim adæquatè in sua natura cognoscere non
possumus, sed posteriora ejus videmus cum Mose duntaxat
Exod. 23. etiam nobis revelatus nihilominus adhuc habitat lu-
cem inaccessam. 1. Tim. 6, 16.

XXVII.

Ad vocem etiam illam Immanuel Esa. 7, 14. cap. 8, 8. Matth.
1, 23. excipit duo Eniedmus pro sua protervia & effronte impu-
dentia: 1. Jesum Salvatorem nostrum hoc nomine non indigi-
tari, & dicit, neque angelum hoc, sed Jesu nomen imponi, man-
dasse: Huic autem glossa opponatur: 1. Evangelistæ allegatio
& in Christo Prophetiæ monstrata impletio Matth. 1, 21, 22, 23.
2. Defectus impletionis in alio. Si enim Prophetiarum certitu-
dinem ac veritatem divinam defendere velimus, necesse est ut
ostendamus in quo illæ impleto sint: aliàs illa tota perit & falsi-
tatis ac mendacii argui potest. Nullus autem alius à Photinia-
nis monstrari potest, in quo vaticinium hoc sit impletum, quam
in solo Christo. 3. Certa & infallibilis prophetia, quæ est de
Filio virginis miraculosè nascituro: Solus autem Christus na-
tus est in miraculosè ex virgine Maria. Ergò ad solum Christum
pertinet hæc Prophetia.

An vox Im-
manuel Chri-
sti nomen.

XXIIX.

Secundò hic Photinianus Spiritus audacter negat vocem
Immanuel notare verum Deum, ideoque non arguere existen-
tiam ante Mariam virginem. Cui verò impudenti *ἀενησὶ* hæc
sequentia opponimus rationum firmamenta. 1. Quia Ecclesia
V. T. Christo huic Immanueli suas de hostibus exposuit querelas
Esa. 8, 7. 2. ab eo petit auxilium, quod ex *ἀποδόσῃ* quæ more usi-
tato Scripturis reticetur, conjicere licet. 3. in eum confisa est ut
v. 9, 10. liquet, qua fiducia innixa Ecclesia audet etiam hostes
ipso provocare & illudere: Classicum canite &c. Quomodo id
fieri potuisset, si hic Immanuel nondum extitisset?

2. Annotet
verum
Deum.

An locus 1. Tim.
3, 16. de
Incarnatione
Filii Dei
agat?

Nec ulterius desistit Spiritus malignus Photinianus sed
suis *Ψευδολογίας* etiam ea loca quæ superius recensita fuere
invadit, eaque miris modis depravat. Ut ex multis tantum uni-
cum classicum locum, reliquos ipsi *συνήθη* reservantes addu-
camus 1. Tim. 3, 16. Ubi Deus dicitur manifestatus in carne,
quem pro Deitate Christi confirmanda nostrates rectissime af-
ferunt Sic autem: *Eniedinus eum interpretatur: intelligenda sunt hæc*
de Deo Patre, qui suam bonitatem ac misericordiam erga nos patefecit
in Christo homine: Deus itaq; Pater (ita Sophista fingit) apparuit ac ma-
nifestavit se mundo in carne, h. e. in vilis & abjectæ conditionis ac sortis
hominibus, quales fuerunt Christus & Apostoli.

XXX.

Verum enimverò hæc *Ψευδολογία* directè cum ipso textu
pugnat. Si quidem 1. is Deus intelligitur, qui simul assumptus
est in gloriam: Pater autem à gloria sua nunquam recessit, in
quam vicissim assumi debeat. 2. omnis vis & tota ratio mysterii
prorsus expiraret, siquidem etiam Deus in aliis suam nobis pa-
tefecit gratiam & misericordiam, ubi tamen nullo modo fit my-
sterii ut hic magni mentio. 3. Hunc Deum manifestatum in car-
ne alia Scripturæ loca vocant filium Dei qui venit in carnem
1. Johan. 4, 2. *Λόγον* qui factus caro Eph. 1, 14. quæ in Deum Pa-
trem cadere minimè possunt. 4. Notum est quod carò sæpè
συνεδοχικῶς pro toto homine vel *μετωυμικῶς* pro infirmitati-
bus carnalibus ac inhærente corruptione, vel *ιδίως* pro altera
parte hominis nempe pro corpore sumatur. Ubi autem locorum
ponatur pro homine vili, abjecto ac paupere, qui diviti opponi-
tur, nullus locus adhuc ex tota Scriptura productus est, nec in
posterum produci poterit.

XXXI.

2. Classis ar-
gumentorum
ab attributis
divinis.

Hæc Ergò de prima argumentorum Classe dicta sufficiant,
sequitur nunc secunda fundamentorum divinitatem Christi
comprobantium quæ ab attributis merè & verè divinis dedu-
euntur. Ex quibus sic firmissimè concludere possumus:

Cuicunque in Scripturis ascribuntur attributa soli
Deo competentia illum Deum etiam verum esse mani-
festum

festum est: Sed Christo tribuuntur attributa soli Deo
propria Ergò &c.

Major per se certa est quia Essentialia attributa ipsissimam
Essentiam subinferunt. Minorem hæc seqq. corroborant dicta
potissima Dei attributa complectentia. Primò enim dicitur Al-
tissimus Psal. 47, 36. Luc. 1, 32. Heb. 1, 6. Rom. 9, 5. & propterea
2. Dominus dominantium ac Rex Regum nuncupatur Apoc. 17,
14. cap. 19, 16. 3. Æternus Mich. 5, 1. Prov. 8, 22. Esa. 9, 7. Psal. 2, 3.
Joh. 1, 1. cap. 8, 58. Coloss. 1, 15. 4. Immutabilis Heb. 1, 12. 5. Omni-
potens Apoc. 1, 8. Joh. 3, 35. Esa. 40, 3. quod Matth. 3, 3. Marc. 1, 3.
Luc. 3, 4. refertur ad Christum. 6. Omni præsens Matth. 28, 20.
Apoc. 1, 13. & tandem. 7. Omni sciens in Scripturis esse pronun-
ciarur Joh. 20, 17. quod attributum soli Deo singulari & excel-
lenti modo 1. Reg. 8, 39. Jer. 17, 9. assignatur. Ergò ex hisce et-
iam attributis Christum verum Deum esse *ἀδαμαντίνως* colli-
gitur.

XXXII

Accidit autem nostris Adversariis *ἀντιθεῶς καὶ ἀντιχριστοῦ*,
ut eos sicut cæteros, qui semel verecundiæ & modestiæ fines
transilierunt, gnaviter oporteat esse impudentes, ideò etiam
ceu homines perfrixtæ & simbriaatæ frontis illa dicta, quæ ipsis
sunt sudes in oculis, imprimis de æternitate Christi loquentia,
aggrediuntur, eaque suis strophis plusquam hæreticis adulte-
rant atque obscurant. Sic enim Psal. 2, 3. verbis: Filius meus es
tu ego hodiè genui te, litteralem sensum esse pernegant; deinde
illa verba ad Davidem ad commodant, mox ipsam particulam
ἄρτι arripunt, & de finito tempore exponunt. Ita enim *Smal-*
cius in Ex. 157. pag. 39. ait: Ego tantum ex eo, quod diei certæ nempe ho-
die fit mentio, non esse ibi sermonē de æternitate, colligo. Nam æternitas &
certum tempus contraria sunt. Verùm cur in re tam evidenti à ma-
nifesta litterā recedamus nos nulla urgeat absurditas aut cogit
necessitates. Deinde cur illa verba ad Christum referamus alibi
fufius à nostratibus probatur imprimis vero ex Act. 13, 33. quod
Pavius hunc locum de Christo confirmationis loco in Synagoga
Judaica explicet. Tertiò quærimus ex Photiniano quomodo
ipse res æternas efferre ac declarare velit? certè impossibile no-
bis

bis est, qui in tempore vivimus, rebus æternis convenientia nomina applicemus, quæ nos non intelligimus. 2. De hac generatione æterna non tantum præsens sed etiam præterita habemus Mich. 5, 1. Egressus ejus ab antiquo, à diebus æternitatis seculi, Prov. 8, 24, 25. ista æternitas pluribus describitur. Ita igitur hodiè fit ut etiam ab æterno fuerit.

XXXIII.

An vox Mozaoth denotat promissiones Patribus factas, vel egressionem decreti divini. Quid porrò Adversarii ad illum locum insignem Mich. 5, 1. objiciant satis notum est: Intelligunt per vocem מֵנֶצֶחַ promissiones de Christo factas Patribus mox à creatione mundi, item egressionem divinæ præordinationis & decreti. Verùm nos tutius sequimur Lutheri expositionem Scripturæ ἐξ ηγήσεσ ἀνάλογον ubi vox Mozaoth Substantiam & ipsum Esse significat, quod extiterit à diebus seculi, antequam tempus aut ulla creatura esset, quam expositionem Lutheri plura Scripturæ loca confirmant, in quibus egressus vel egredi notat hominis existentiam, alicubi actiones & conversationem Deut. 31, 2. 1. Sam. 22, 3. Psal. 121, 7. 1. Reg. 15, 16. Hinc etiam reliqui magni nominis Theologi descendunt amplius & specialiore significationem generationis ex Substantia Patris æternæ ex hac voce rectè & eruditè eruunt. Nam hæc radicis significatio per frequens est, unde nata phrasid: ex lumbis alicujus prodire vel exire: qua ratione & filii dicuntur מֵנֶצֶחַ quia sunt מֵימֵי עֲרִיסָה egressiones viscerum.

XXXIV.

Et in specie atque directè respondemus ad hanc glossam (quæ vocem Mozaoth vel de genealogia sive prædestinatione exponit) eam repugnare tum vi vocis, tum usui & consensui Scripturæ. Si enim de egressionem decreti divini vel promissionum promulgatione accipiatur: reclamatur affixum מֵנֶצֶחַ quod refertur ad masculinum מֵנֶצֶחַ præcedens, ad nullam verò promissionem vel prædestinationem. 2. Repugnat scopo Prophetæ, qui non est describere quid Deus ab æterno decreverit vel promiserit, sed qualis ille Dominator Israël ab æterno fuerit. 3. ἀλόγον exinde sequitur, qui enim nondum est, quomodo ejus genealogiam describere ac numerare possumus. Relinquitur ergò hoc in loco geminum egressum unum ab omni æterni-

ternitate; alterum in tempore (quod manifesta oppositio arguit) designari. Reliqua loca de æternitate & reliquis attributis loquentia brevitatis causa præterimus, & quomodo ab Adversariorum corruptelis vindicanda sint ipsi discursui relinquimus.

XXXV.

Nunc ergo statim ad tertiam argumentorum Classem, quæ ab operibus & miraculis divinis desumuntur, accessum facimus. Sic Ergo pro Divinitate Christi corroboranda & constabilienda tertio loco argumentamur:

Tertio argumentorum Classis petit ab operibus divinis.

Cuicunq; tribuuntur opera divina & soli Deo propria, is verus Deus est: Atqui Filio Dei tribuuntur opera divina & soli Deo propria: Ergo verus Deus est.

Major probatione non eget, quia opera testantur de potentia, potentia verò & Essentia divina realiter unum sunt.

XXXVI.

Minorem stabiliunt in genere opera ad extra, quæ sunt indivisa & omnibus tribus Personis S.S. Trinitatis communia, ubi eadem opera Patri & Filio attribuuntur Joh. 5, 17. Pater meus usque modo operatur & ego operor Joh. 14, 13, 14.

Ubi ergo est ταυτότης in operibus & operandi modo, ibi etiam est ταυτότης Essentiæ: At in Patre & Filio est ταυτότης in operibus & operandi modo: Ergo ibi etiam est ταυτότης Essentiæ.

XXXVII.

Deinde in specie tribuuntur filio Dei: 1. Creatio omnium rerum visibilium & invisibilium Gen. 1, 1, 2. Psal. 33, 6. Psal. 102, 26. Heb. 1, 1. ea omnia referuntur ad Christum Joh. 1, 1. Coloss. 1, 16. 2. Omnium rerum conservatio Joh. 5, 17. Heb. 1, 3. Omnia in ipso (συνέστηκε) consistunt. 3. Habet potestatem faciendi divina & supernaturalia miracula, eaque quam plurima edidit, quæ divinam potentiam arguunt. Ipse enim Deus solus est θεομαργος Psal. 68, 8. Psal. 136, 3. Esa. 41, 18. Christus autem miracula edidit in quibus divina sua manifestata est gloria, & ideo ipse provocavit ad sua miracula, tanquam indubitata divinitatis testimonia Matth. 11, 3. cap. 27, 54. Johan. 2, 11. Johan. 3, 2. cap. 5, 36. cap. 9.

cap. 9, 32. à seculo non est auditum, quod quis aperuit oculos cæ-
 ci nati Joh. 15, 24. si opera non fecissem &c. cap. 20, 31. Hæc signa
 scripta sunt ut credatis, quod Jesus est Christus ille filius
 Dei &c. 4. Æterna donat præmia Joh. 5, 24. 5. Exaudit invocan-
 tes Joh. 14, 6. Largitur pacem Rom. 1, 3. 7. Illuminat Joh. 1, 9.
 8. mittit Spiritum sanctum Johan. 15, 16. cap. 16, 7. Ideò dicitur
 Christi Spiritus 1. Pet. 1, 11. 9. Perfecit opus Redemptionis, de quo
 in altero membro fusius agetur. 10. peccata remittit Matth.
 9, 2. Marc 2, 4. quod solius Dei opus Psal. 57, 6. Psal. 103, 3. 11. de-
 fendit pios Joh. 20, 27. 12. mittit Evangelistas & Apostolos Psal.
 68, 12. Esa. 41, 27. Matth. 10, 5. Marc. 16, 15. Joh. 20, 21. Eph. 4, 10,
 11. 13. Instituit Sacramenta Matth. 28, 1. Marc. 16, 14. Regenerat,
 vivificat, justificat Joh. 5, 47. Act. 3, 15. Rom. 3, 22. 15. Judicat vi-
 vos ac mortuos Joh. 5, 22, 27. Act. 17. & tandem 16. resuscitabit
 mortuos *ἰδιὰ δυνάμει* Joh. 5, 21. cap. 6, 39.

XXXVIII.

Etsi autem hæc omnia ad veritatis libellam examinata
 quemvis pium de Christi Divinitate fatis superque confirmare
 possunt, attamen hostes Deitatis Christi *ἀσωνδοί* in propria con-
 scientia convicti, pro more in veterato hæc dicta clarissima per-
 vertere non erubescunt, dum nobis *γλαύκωμα* objiciunt, & ut
 ad opus creationis respiciamus, in particula *Ἀλλ'* malæ causæ
 præsidium quærunt, & illam tantum causam instrumentalem
 notare Sophisticantur, ut ita juxta eorum sententiam solùm cau-
 sa instrumentalis Christus dicendus sit.

XXXIX.

His autem argutiis opponimus & regerimus ea dicta quæ
 evincunt particulam *Ἀλλ'* ut causam principalem usurpari. Sic
 Rom. 5, 5. Charitas dicitur diffusa in cordibus nostris *Ἀλλ' πνεύ-
 ματι & ἀγάπῃ* & Heb 9, 14. Christus semetipsum obtulit *Ἀλλ' πνεύ-
 ματι & ἀγάπῃ*: Ita Apostoli per Christum missi dicuntur, & ta-
 men Christo hæc missio totaliter ascribitur Matth. 28. Eph. 4.

2. Eadem particula de Deo Patre habetur Rom. 11. v. ult.
 Quemadmodum Paulus dicitur vocatus Apostolus *Ἀλλ' ἵνα ἡ-
 μαῖς ἵνα ἵνα* per voluntatem Dei 1. Cor. 1, 1. 2. Cor. 12. 2. Tim. 1, 1.
 Gal. 1, 1. *Ἀλλ' τὸ ἵνα ἵνα ἵνα εἰς κοινωνίαν τὸ ἵνα αὐτῶν* 1. Cor. 1, 9.
 2. Cor. 1.

2. Cor. 1. Quis verò tam absurdus erit, qui asserat Deum Patrem esse causam instrumentalem nostræ vocationis, creationis & vitæ in Christo.

XL.

Sufficiant ergò pro ratione instituti nostri hoc tria potissimum fundamenta ad Divinitatem Christi stabiliendam attulisse, nunc etiam ordinis ratio efflagitat, ut paucis ex Scripturæ Sacræ meditullio Humanam Christi Naturam comproberimus. Multi enim reperti sunt hæretici qui eam vel in totum vel ex parte ab negarunt, quales prisci hæretici Valentiniani atque Apollinaristæ extiterunt. Sic ergò pro veritate Humanæ Naturæ Christi pugnamus, talem Syllogismum formantes:

Cuicunque verè & propriè tribuitur: 1. nomen si-
ve appellatio hominis. 2. definitio. 3. & essentielles par-
tes videlicet anima rationalis & corpus. 4. propria
opera & effecta, is est verè homo: Atqui Jesu Christo il-
la omnia in vero ac nativo sensu in Scripturis tribuun-
tur: Ergò Christus est verus homo.

*Christus est
verus homo
nobis per
omnia similis
excepto pec-
cato.*

Major per se certa est: Minoris membra ordine nobis ve-
niunt probanda. Primò igitur Christus disertè, verè ac propriè
appellatur homo Luc. 23, 47. 1. Tim. 2, 5. caro Joh. 1. Filius homi-
nis Dan. 7, 13. Matth. 18, 20. Act. 7, 56. semen mulieris Gen. 3, 15.
Semen Abrahæ Heb. 2, 16. Filius Abrahæ Matth. 1, 1. filius & fru-
ctus ventris Davidis 2. Sam. 7, 12. Matth. 1, 1. Ex patribus secun-
dum carnem Rom. 9, 5. filius Virginis Mariæ & ex ea genitus
Esa. 7, 14. Matth. 1, 16. Luc. 1, 3. cap. 2, 48. Act. 1, 14. Gal. 4, 4.

*1. Expresse
appellatur
homo.*

XLI.

Secundò Definitio Hominis filio Dei convenit: Est enim
animal rationale constans vero humano corpore & anima ra-
tionali hoc est intelligente & volente, uti mox probatur mem-
bro sequenti tertio.

*2. Definitio
hominis ei
competit.*

XLII.

Tertiò igitur tribuuntur illi Essentiales hominis partes,
anima rationalis & corpus: De vivente & vegetante abunde

*3. Essentiales
partes homi-
nis.*

testatur tota Christi historia. Rationalem verò animam in Christo ostendunt contra Apollinaristas, qui Deitatem loco animæ Christo assignabant, dicta illa manifestissima Matth. 20, 28. cap. 27, 27. 1. Joh. 3, 16.

Hinc Christo tribuitur scientia, intelligentia, sapientia, voluntas, Electio Esa. 7, 15, cap. 9, 6. cap. 11, 2. Johan. 3, 38. cap. 5, 21. De corpore humano passim reperiuntur testimonia. Matth. 26, 26. cap. 27, 58. Marc. 14, 8. Luc. 22, 19. cap. 23, 2. cap. 24, 3. Johan. 2, 22. de carne testatur ipse Christus Luc. 24, 59. Joh. 6, 51. Rom. 1, 3. cap. 9, 5. de ossibus Luc. 24, 29. Joh. 19, 33. Eph. 5, 30. de sanguine Matth. 26, 28. Rom. 5, 25. Heb. 2, 14. Sic etiam fit mentio manuum Christi, pedum, oculorum, oris, Linguae &c. Apoc. 1, 14, 15, 16.

XLIII.

Quartò Christo competunt propria *παρὰ* hominis, tum quæ toti homini seu toti composito conveniunt, tum quæ singulis partibus, hoc est animæ & corpori distinctè contra *αφρατονήτας*. Hinc dicitur profecisse sapientia & ætate Luc. 2. v. ult. grandior fuit in ætate virili quam puerili. Contristatus est & lachrymas fudit, & turbatus anima. Matth. 26, 28. Luc. 19, 41. affectus ipsius varii (sine peccato tamen) passim describuntur, sitiivit, esurivit, defatigatus est, ambulavit de loco in locum &c. Quæ omnia Christum verum hominem anima rationali & corpore humano præditum satis evidenter arguunt & concludunt.

XLIV.

Ex quo Marcionitarum & Manichæorum veterum error refutatur, qui contenderunt Christum imaginem tantum corporis quandam, seu *Φάντασμα* corporis habuisse. Deinde & Valentinianorum delirium, qui statuerunt Christum carnem suam è cælo delatam, per Mariam tanquam canalem traduxisse sine omni communionem Essentiæ. Qui tamen errores omnes ex supra jactis fundamentis solidissimè confutari & refelli possunt.

XLV.

Due Naturæ personaliter Et si autem in Christo Naturæ duæ sunt Essentialiter distinctæ, Deitas & Λόγος & Humanitas, tamen inde non nascitur dualitas

litas personarum, ut alia persona sit Deus, alia homo: sed una est eademque persona Deus & Homo. Ac proinde Christus vocatur unus 1. Cor. 8, 6. 1. Tim. 2, 5. 2. Cor. 5, 15. Rom. 5, 7. propter unionem istam duarum naturarum arctissimam, quæ quantum in hac imbecillitate mentis concessum est, à nostratibus Theologis Orthodoxis κατ' ἄρσιν, καὶ κατὰ θεσιν describitur.

XLVI.

Primum igitur hæc Unio ut prius modos unionis Philosophicos removeamus, non est Essentialis, qualis inter corpus & animam unio intercedit, ut alibi probatur. Nec est hic unionis modus mixtionis, in quo conversio, mixtio, proprietatum abolitio locum habet. Hic enim modus admodum alienus est ab unione personali. Conversionem enim statuere est Eutychianum. 2. Utraque Natura in unione personali manet integra, neque aboletur, quod in mixtionis modo non fit.

Remotio modorum Philosophicorum ad hanc Unionem non spectantium.

XLVII.

Nec est accidentalis modus: 1. non ratione ὡς ἑσθ' ἰσθ' ὡς veluti plura grana in unum acervum congeruntur nec ratione continuitatis, utpote cum duo asseres conglutinantur: nec tertio subjective unitæ sunt duæ Naturæ: sicut paries & albedo calor & aqua sunt unum subjecto: nec tantum integraliter ratione nimirum partium & totius. Nam λόγος qui ἀμέριστος totum & perfectum Hominem assumpsit.

XLVIII.

Modos Unionis Theologicos quod attinet 1. non est Essentialis Personarum in Trinitate hypostasi differentium. Essentialis enim Unio reducit Personas in Essentiæ communionem: Personalis verò Naturas (non Personas) in unitatem Personæ.

ἀφαιρέσις modorum unionis Theologicorum.

XLIX.

Nec huc quadrat unionis modus mysticus, quo cuncti fideles cum Christo uniuntur; & ad hanc Unionem gratiosa totius Trinitatis inhabitatio, cum donis Spiritus sancti, ad Ecclesiæ ornamentum spectantibus, consequitur. Hæc autem per enormia scelera fit solubilis. 2. neque in illa fidelis homo efficitur cum Patre, Filio, & Spiritu sancto una Persona &c.

Non est unio mystica.

Nec unio Sa-
cramentalis.

Huc etiam minimè spectat denique unio Sacramentalis constans re terrena & cœlesti sive verbo & elemento. Quia hæc constat duabus rebus per se subsistentibus Elemento vilibili & re cœlesti institutionis verbo copularis. Personalis autem unio licet & ipsa in duabus naturis consistat: tamen earum altera humana nimirum) ante unionem neque fuit neque substitit in rerum natura.

E.

θεός, Quid sit Uno Personalis.

Sed est planè singularis & personalis: Quæ est duarum in Christo Naturarum ineffabilis, indissolubilis tamen conjunctio, qua æternus Filius Dei in temporis plenitudine humanam Naturam in Personæ suæ unitatem, non sine reali naturarum, earundemque proprietatum κοινωνία assumpsit, atque in ea non tantum Redemptionis opus absolvit, sed jam quoque per eandem omnibus ubique creaturis præfens & potenter dominatur. Ex quo colligitur hypostaticam hanc Unionem non per ἀλλοίωσιν Cinglianam, neque per nudam ὁμοίωσιν, sustentationem & gestationem sicut gemma inclusa annulo, & clavus infixus rotæ definiendam esse, sed eam consistere 1. in arctissima naturarum præsentia. 2. In profundissima earum ἀειχωρήσει seu immeatione, quæ nihil aliud est, quam totius in totum plenissima & impermixta unio, in qua singula sunt in singulis & omnia in singulis & singula in omnibus, & omnia in omnibus & unum omnia. Augustin. libr. 6. de Trinitat cap. ultimo. 3. In unius ὑφισταμένης constitutione mutuâ Christiana fide credimus atque tenemus, quam Patres Orthodoxi utpote Ignatius: ἐνανθρώπησιν, Tertullianus: ἐνσωματώσιν, Justinus: ἐνώσιν, Irenæus: ἐναίρησιν, μίξιν Dei & Hominis appellarunt.

In quibus consistat Unio hæc.

E I.

Et quamvis hoc mysterium sit ὑπερ νοῦν, ὑπερ λόγον, ὑπερ κατέληψιν κλησῆς φύσεως, ut ait Justin: & Damasc. l. 3. cap. 1. πάντων καινῶν καινότατον, τὸ μόνον καινὸν ὑπὸ τὸν ἥλιον; at tamen pii & orthodoxi Patres ne omninò in hoc mysterio arcano tacerent, hanc unionem personalem, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαστάτως, ἀδιαρέτως, καὶ ἀχωρίτως factam esse pronunciarunt.

Consequentie Unionem.

Qua mediante unione hæ duæ Naturæ divina & Humana tam arctè sibi invicem cohærent, ut neutra sit extra alteram, quan-

quandoquidem personaliter unitæ sunt, & quod Deus semel assumptus, id nunquam deponit. Quapropter hanc arctissimam unionem Paulus per ἐνωίησιν Coloss. 2, 9. describit, quod in ipso scilicet Filio Dei inhabitet *πᾶν πλῆρωμα θεότητος & σωματικῶς*, hoc est tanquam in proprio corpore sive templo. Unde exprimitur illa unio propositionibus personalibus strictè ita acceptis, quæ unionem personalem describunt, & cujus ratione & modo sunt intelligendæ, quæ sunt in quibus concretum unius naturæ prædicatur de concreto alterius naturæ: ut λόγος factus est caro id est Homo: Filius hominis est filius Dei. Deus est Homo, Homo est Deus.

LII.

Cæterum Unionem hanc tanquam prius & Antecedens consecuta est communicatio Idiomatum tanquam posterius & consequens, quæ est (definiente ita eam Dn. Mentzero in Exegesi A.C. art. 3. de Christo pag. 107.) realis participatio propriorum divinæ & humanæ naturæ in Christo *θεωρωπῶ* facta, vel ab alterutra vel utraque natura simul de nominato. Cujus tria sive genera, sive modi, sive gradus vulgò constituntur.

Primum igitur genus continet dicta in quibus propria naturarum prædicantur de Christo (sive à natura divina sive humana sive utraque denominato) divina quidem propter Deitatem, humana autem propter Humanitatem. Ac proinde hinc talis est communicatio, in qua simul propria vendicantur suis naturis: Prædicantur autem de tota persona, quia in ipsa utraque natura subsistit. Quare cum de Deo prædicetur Homo, de eodem etiam prædicantur attributa humana: Et cum de hoc homine Mariæ filio prædicetur Deus, de eodem etiam prædicantur rectè attributa divina. Sic verè dicere possumus Deus est conceptus natus, Dominus gloriæ crucifixus 1. Corint 2, 8. Hic Homo est Creator cœli & terræ, est æternus, adeoque extitit hic filius Mariæ antequam esset Abraham Johan. 8, 58. est infinitus nempe in natura sua divina.

Communicatio Idiomatum quid.

Primum genus communicationis Idiomatum.

C. 3

Quic-

Quicquid enim per naturam proprium filio Dei, hoc omne per
& propter unionem personalem prædicatur de filio Mariæ: Et
vicissim quicquid est per naturam humanam proprium filio
Mariæ, hoc omne per & propter unionem personalem prædica-
tur de filio Dei, quæ probe Contra Cingli allæosin, & Nestorii
ἡ ἁποστολικῆς strophas observanda sunt.

LIV.

*Secundum
Genus.*

Secundum Genus velut alii id tertio loco ponunt, de quo
cum nemine litigabimus, complectitur illa dicta in quibus divi-
na majestas, gloria & potentia utpote omnis potestas in cælo &
in terra, virtus vivificandi, potestas remittendi peccata &c. assi-
gnatur Christo secundum humanam naturam (non tanquam
ipsius naturalis proprietas) sed per & propter unionem hyposta-
ticam. Ubi tenendum interdum adhiberi particulas distincti-
vas, & addi nomen naturæ humanæ, carnis & sanguinis non ut
denotet naturam humanam seorsim à λόγῳ existentem sed si-
gnificat Humanitatem Christi qua, quatenus & in quantum illa
subsistit in persona τῆς λόγῳ; & considerantur in ea nō attributa
naturalia humana, sed dona divina quæ ex gratia unionis illi
collata. Deinde minimè hic locū habet reciprocatio illa qualis
fuit in primo genere, quia assumptis est dare non assumpti.

LV.

*Tertium
Genus.*

Tertium communicationis Genus est, in quo explicantur
dicta, quæ comprehendunt Officium Christi, ubi locum inve-
niunt hæ propositiones: Persona Christi operatur secundum u-
tramque naturam: sive utraque Natura in Christo operatur
quod sibi proprium est cum communicatione alterius. Utrius-
que naturæ actiones concurrunt ad ἀποτέλεσμα quoddam com-
mune, & fit actio Θεανδρική seu Dei virilis.

*Christi Offi-
cium triplex.*

Est autem triplex Christi Officium: i. Propheticum, quo
nobis revelavit Dei voluntatem de nostra salute. Sacerdotale
quo medium sese inter Deum & homines peccatores ponens
Deum toti generi humano reconciliavit satisfaciendo, divinæ
legi & apud Deum pro nobis intercedendo.

Regium Christi Officium est quo ipse Θεανδρῶν ἡγεμὼν ὁ κυβερ-
nat omnia in cælo & in terra, & imprimis Ecclesiam, quod vel in

hac

Hac vel in altera vita consideratur, de quo duplici officiorum genere videlicet Prophetico & Regio hic non solliciti erimus. Sufficiant ergo hoc in loco de secundo officio videlicet Sacerdotali & Mediatoris pro ratione instituti aliquid afferre.

LVII.

Ut autem de hoc arduo negotio distinctè aliquid agatur, etiam nobis ex Scripturis confirmanda erunt, quia cum triplici hæreticorum genere hac in materia nobis potissimum est confingendum & colluctandum. 1. Contra Photinianos hæreticorum hæreticissimos quod sit Mediator Dei & hominum, qui pro peccatis nostris satisfecerit. 2. quod & pro omnibus actualibus peccatis & pœnis temporalibus & æternis satisfecerit, & tanquam Mediator Unicus Θεάνθρωπος iram Dei placarit, & nos à mancipio Sathanæ & Servitute peccati plenissimè liberaverit, quod Romano Pontifici & ejus Aseclis è diametro oppositum est. 3. denique probandum nobis incumbit contra Calvinianos Christum pro omnibus omnium hominum peccatis legem implevisse, & pro iis patiendò ac moriendà, λύτρον persolvisse sufficientissimum.

De quibus in hoc officio Mediatoris agatur.

LVIII.

Necessarium autem ante omnia esse videtur, ut antequam ad probationem ipsam perveniamus prius Vocis Mediatoris Homonymiam, quæ in hac sublimi materia erroris genitrix esse potest, tollamus atque removeamus, & quid per vocem Mediatoris intellectum velimus, determinemus.

Descriptio Mediatoris.

Per vocem igitur Mediatoris nos intelligimus illum qui simul Deus & Homo est, à Deo ante Mundi constitutionem præordinatus, per quem omnes homines in Adamo perituros reparare, & per fidem in ipsum salvare proposuit: per quem in tempore reconciliavit sibi mundum, & redemit omnes homines à peccato diabolo, morte, & inferno, per & propter quem etiam illuminat, vivificat, justificat, adoptat, Spiritum sanctum donat, exaudit, qui apud Deum Patrem pro omnibus orat, juvat, salvat, & glorificat omnes obedientes verbo.

Ex:

Officia & beneficia Mediatoris.

Ex quibus liquet quæ sint officia & beneficia Mediatoris, quæ omnia in Scripturis passim occurrunt, quod 1. pro nobis legem impleverit tum faciendo tum patiando Matth. 5, 17. Rom. 8, 3. Gal. 4, 5. Gal. 3, 13. Phil. 2, 8 atque ita peccata nostra deleverit, atque abstulerit Tit. 2, 14. Johan. 1, 29. Esa. 43. caput serpentis contriverit Gen. 3, 15. & opera diaboli destruxerit Hebr. 2, 15. 2. Johan. 3, 8. 2. Mundum Deo reconciliaverit pacem inter Deum & homines constituendo 2. Cor. 5, 18. Eph. 2, 15. Rom. 5, 1. Unde & pax nostra Eph. 2, 14. vocatur. 3. Pro salute nostra Patrem oraverit, ut propter meritum obedientiæ & mortis suæ nostri misereatur Johan. 17, 9. Rom. 8, 34. Remissionem peccatorum impetraverit, atque justitiam coram Deo valentem pepererit Eph. 1, 7. Coloss. 1, 14. 1. Cor. 1, 29. Rom. 5, 18. cap. 10, 4. 2. Cor. 5, 21. Qui etiam nos hodiè illuminat Johan. 1, 9. Eph. 5, 14. justificat Act. 10, 43. cap. 13, 38. Rom. 3, 24. adoptat in filios Dei Gal. 4, 5. Johan. 1, 12. Spiritum sanctum donat Johan. 16, 7. juvat nos solando & contra hostes defendendo 2. Cor. 1. Johan. 17. per media ordinata salvat Johan. 3, 17. Heb. 7, 25. 1. Johan. 4, 9. ac tandem omnes credentes & fideles conglorificat Rom. 8. & Phil. 2.

*Photiniano-
rum Opinio
de
satisfactione
Christi.*

Cum autem hæc Photiniani arietes meriti Christi pessimi de Mediatoris officio audiunt, quasdam hypotheses ἀγὰφης ἀνὸς ἀνὸς ἀφης assumunt, ut omnem vim Meriti Christi τινω- τὰς enervent, imò planè labefactent. Sic ergò statuunt: 1. In Deum nullam cadere iram. 2. nullamque pro peccatis satisfactionem esse necessariam, quia Deus illa ex sola misericordia sine interventu ullius meriti condonare decrevit. 3. Sibi imaginantur Christum non ad satisfaciendum missum esse, eumque nudum hominem & Prophetam fuisse, cum in finem missum, ut veram salutis rationem doceret, quodque in martyrio suo fuerit affectus ut alii Prophetæ, ac tandem nos redemisse ac salvos facere non nisi ratione doctrine, exempli & traditæ à Deo potestatis intelligi debeat.

Hiscè

Hicce ergò sophisticationibus ut maturè occurramus, præmi-
niendus est animus Christianus certis & immotis argumētis, qui-
bus, certò sibi persuadere possit Christum Jesum θεάνθρωπον ut
Mediatorem revera pro peccatis nostris satisfecisse.

LXI.

Ubi primum sumimus à Redemptione per Christum facta. De
hac verò disertè & expressè loquitur Apostolus Rom. 3, 24. δικαι-
οσύνην δωρεὰν τῆ αὐτῆ χάριτι διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν χρεῖσιν
Ἰησοῦ & vers. 15. Quem proposuit DEUS ἰλασθῆναι in sanguine
ipsius ad ostensionem justitiæ suæ per remissionem præteritorum
peccatorum. In quo dicto omnes causæ nostræ salutis includuntur
efficiens quæ est gratia DEI gratis nos justificantis. 2. Meritoria
quæ est ἀπολύτρωσις Christi. 3. Instrumentalis & organica, quæ est
Fides. 4. formalis, quæ remissio peccatorum est. 5. finalis, quæ est
ἐνδειξις τῆς δικαιοσύνης & divinæ gloriæ idem in locis ᾠδὴ ἀλλήλου
& 1. Cor. 1, 30. Cap. 6, 20. Eph. 1, 7. Col. 1, 14. Heb. 9, 12. repeti-
tur.

*Pro satis-
factione
Christi
1. Argum.*

LXII.

Hic autem χρεῖσιν ἀπολυτρώσεως obtendunt vocabulum Re-
dimendi accipi metaphoricè, ut nihil significet aliud quam liberare
absq; solutione pretii. Sed nos illis reponimus hanc regulam Theo-
logicam, quod à literalis sententia non sit recedendum, nisi textus
evidentia, vel fidei analogia ad figuras nos confugere jubeat. Hic
autem nulla est necessitas, ut omnes textus de redemptione loquen-
tes figuratè accipiamus atque interpretemur. 2. Distinguendum
hic est inter acceptionem vocis ἀπολυτρώσεως propriam & impro-
prios, impropria est, quæ pretio caret. Propria verò, quæ est perso-
næ aut rei alienatæ, occupatæ vel captæ vindicatio per interveni-
ens pretium, quæ hic intelligitur.

LXIII.

Deinde locum illum egregium de Redemptione agentem Job. 19, 15.
ita depravant, quasi Iobus non de Resurrectione quam Redemptori as-
scribit, sed restitutione suæ sanitatis corporalis agat. Hanc autem
expositionem minime consistere posse obstant 1. proœmium Jobe
& postulata attentio (ut ex inspectione textus liquet) ob rem sin-
gularem futuram, & longè expectandam. 2. Plena scientia, qua

D

se nosse

se nosse Jobus profiteretur : Sed restitutum in sanitatem & omnia bona, nec Jobus nec alii fideles certo norunt. 3. Nomen ^{יְהוָה} inquit enim ^{יְהוָה יִצְחָק} scio Redemptorem meum, quod nomen soli Christo competit.

LXIV.

II. Petimus ab officio Mediatoris, ubi dicta Scripturæ sunt adferenda, quæ Christum esse Mediatorem nostrum unicum testantur 1. Tim. 2. v. 5. unus est Deus ^{εἷς ἡμεῖς τῆς} Hebreor. 8, 6. nunc verò hoc excellentius sortitus est ministerium, quò præstantioris est Testamenti Mediator. cap. 9, 15. Et ob id N. T. conciliator est, ut morte intercedente, ad redemptionem earum pravitationum quæ sub priori Testamento erant &c. In quibus dictis tria imprimis innuuntur 1. DEUM & homines fuisse partes dissidentes. 2. Mediatorem Christum idè in hunc Mundum venisse, & dissidentes illas partes reconciliaret. 3. Medium hujus reconciliationis fuisse sanguinis asperisionem & mortem intercedentem. Quæ tria se quisque diligenti mentis indagine pensitaverit ultrò fateri cogetur. Christum certi pretii interventu Mediatoris officium executum esse.

LXV.

III. Fundamentum deducimus ab ^{ἱλασµῶ} vel propitiatio-
ne & reconciliatione. Duo autem hic notanda veniunt. 1. Quod DEUS nobis ob peccata offensus fuerit Ps. 5, 7. Odisti omnes operantes iniquitatem. Hæc enim dividunt inter nos & Deum Es 59. unde natura filii iræ Ephes. 2, 3. qui sub maledictione legis sumus Deut. 27. v. ult. Gal. 3, 10. sub servitute peccati Joh. 8, 34. vendati sub peccatum Rom. 7, 14. sub potestate Sathanæ Hebr. 2, 14. Quis igitur est qui exinde non colligere posset nos Deo inoffensos fuisse. Deinde perpendendum est quod Christus Deum iratum placarit, nobisq; reconciliaverit, atque sic noster propitiator extiterit. Unde habentur dicta 1. de propitiatioe Rom. 3. vers. 25. Christum proposuit Deus ^{ἱλαστήριον} etn Gnadenstuel : Vbi fit respectus ad propitiatorium V. T. in arca fœderis collocatum Exod. 25, 17. & ita Christi typum gessit; sicut enim oraculum aliàs nominabatur, in quo responsa dabantur; sic Christus voluntatem Patris nobis revelavit, & operculum, quia tegebat arcam in qua repositus

stræ erant duæ tabulæ legis: sic Christus etiam suo sanguine nostra peccata texet Joh. 2, 2.

LXVI.

Nec est, quod excipiant heretici Christum ite' dici ἱλασθῆρον, quia sicut DEUS in arca se propitium & placatum præbens populo responsa dabat, ita quicquid nos scire, voluit per ipsum patrefecit. Sed respondemus illis diversam esse rationem in typo & antitypo, & hanc collationem non esse primariam, sicq; dicimus, quod arca placarit typicè Christus verò verè, & realiter: illa fuit umbra, hic corpus, illa figura, hic ἀλήθεια, illa res bruta, hic vera & viva victima ad veram faciendam propitiationem oblata.

LXVII.

Huc secundo loco quadrant dicta ad Reconciliationem pertinentia. Rom. 5, 10. Cum inimici essemus κατηλαγημεν per mortem Filii ejus v. 11. per Christum καταλαγήν accepimus, videatur etiam Eph. 2, 6. Col. 1, 20, 21, 22. Ex quibus dictis 5. resultant 1. peccatum nostrum quo Deum offendimus. 2. Indignatio DEI ex offensa orta. 3. Amissio gratiæ loco pœnæ inflicta. 4. placatio DEI & restitutio gratiæ. 5. Placationis medium meritorium, quod Apostolus vocat sanguinem crucis Col. 1, 20. & mortem Rom. 5, vers. 10. quæ omnia meram; veram & realem satisfactionem arguunt.

LXVIII.

IV. De promissus à sanguinis effusione & Christi immolatione. *IV. Argumentum.* Hic sese offert locus ἀξιουνη μόνος Heb. 9, 22. Omnia ferè in sanguine secundum Legem purificantur καὶ χωρὶς αἱμάτων χυσίας ἔγινεται ἄθεοις. Quo in loco duo consideranda sunt 1. quod effusio sanguinis à Christo Mediatore facienda fuerit necessaria, & 2. hæc necessitas à remissione peccatorum dependeat, siquidem illa condonari nequeunt, nisi sanguis effundatur, sicut expressè hoc affirmat ipse Christus Matth. 26, 28. Hic est sanguis meus qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum: Vnde sic argumentamur.

Quicquid effunditur in remissionem peccatorum, hoc est, causa remissionis non nudum signum vel sigillum: Sed sanguis Christi effusus est in remissionem peccatorum: Ergo est causa remissionis.

Eaque est vel principalis vel meritoria: illa est Deus, qui ex gratia condonat peccata: Sequitur ergo quod sit meritoria, quod ipsum innuunt particulae per vel propter sanguinem Christi, quippe quae sunt notae causae moventis, impellentis, promerentis.

LXIX.

Hinc scriptura enunciat, quod sanguis Christi pro nobis effusus fuerit victimalis, & Christus in ara crucis semetipsum DEO Patri tanquam victimam pro peccatis obtulerit. Fuit enim antitypus per sacrificia V. T. adumbratus, adeoque ut compleretur typus necesse erat, ipsum per mortem immolari Deoque offerri, Eph. 5, 2. Heb. 5, 7. cap. 9, 29; 26. In hisce autem dictis haec sequentia continentur, *περισυατα*. 1. Quod Christi mors fuerit *μεροφορεια* *νευ* *ιωρια*. 2. haecq; oblatio facta sit in diebus carnis. 3. cruenta illa hostia praesupponat laesionem partis offensa. 4. deniq; facta sit ad destructionem peccati Heb. 9, 26, ad ex haurienda peccata. v. 28. cap. 10, 2. De discrimine inter Sacerdotes veteres & Christum, item de Exceptionibus Photinianorum videatur Clariss. Dn. D. Praeses Praeceptor noster omni observantiae cultu prosequendus Anthropol. sacrae decad: 3. disp. 25, th. 58, 59. seqq.

LXX.

V. Argu-
mentum.

Et ultimum fundamentum pro astringendo Christi Mediatoris officio deducimus a susceptione culpae & poenae nostrae. Quam sequentia roborant testimonia solis jubare clariora Es. 53, 3. seqq. 2. Cor. 5, 21. Gal. 3, 15.

Ex hisce saltem dictum Esa. 53. (quod de Christo ut ex allegatione Evangelistarum & Apostolorum apparet, expressè agit,) assumemus, & paucis enucleabimus, ubi verus quartus ita se habet: Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit, & nos reputavimus eum flagellatum & percusum & Deo & humiliatum. In fontibus habentur verba *נשׂוּ* & *לכבד* quae ubique notant onus quoddam ad portandum assumere, gestare Exod. 28, 29. Jos. 3, 3. Gen. 49, 15. Es. 46, 4. Psal. 144, 13 Per languores autem non morbi corporis, quibus expositus fuisse Christus nusquam legitur, sed dolores animae ob nostram culpam suscepti potissimum intelliguntur, quam alienam culpam mox v. 5. seq. inculcat: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras in hebraeo codice

משעינו

מפשינו attritus est propter scelera nostra in Hebraea נשתינו
מפשינו ut sit sensus quasi hæc ipsum adegerint, ut necessario
vulneraretur, disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sana-
ti sumus.

LXXI.

Ex dictis ergo hæc sequentia firmissimè deducimus, quod 1. quia
innocens propter iniquitates alienas à DEO Justo judice percussus,
propterea pro nobis passus & mortuus satisfecerit. 2. Cum illius
mors nobis in pacificationem & liberationem cesserit, eam satis-
factoriam fuisse necessum est. 3. quia etiam nos à morbis animæ
hæc passio Christi liberaverit, eam talem vim sanandi, & satis facto-
riam habuisse optima consequentia colligitur.

Nunc essent etiam Adversariorum *Φλυαρίαι, αντιβλήματα*
καὶ ἐπεροδοσιαλίας subnectendæ, verum quia hæc sufficientissi-
mæ apud excellentissimum. DN. D. Præsides sunt discussæ & ven-
tilatæ decad. 3. Anthropol. sacræ disput: 26, eas hoc loco brevitatis
studio præterimus.

LXXII.

Cæterum ex dictis satis superque constat, & conspicuum est,
quod falsa sit assertio stancari, & deliria in otiosorū Monachorum
cerebro nata Christum Jesum Mediatorem nostrum tantum secun-
dam humanam naturam esse, oportuit enim ipsum pariter Deum
ac hominem esse, DEUM quidem: 1. Quippe ipsum ut mediatorem
oportuit infinitæ DEI Justitiæ per peccata hominum læsæ & obe-
dientia activa atque passiva satis facere, & sufficiens Redemptionis
pretium perficere, iram DEI infinitam sustinere, placare, & à ge-
nere humano auferre, caput infernalis serpentis conculcare, Dia-
bolum mortem & infernum superare, è potestate horum univer-
sum genus humanum redimere, merito propriæ obedientiæ toti
generi humano gratiam DEI, remissionem peccatorum, justitiam,
Spiritus Sanctum, æternam gloriam acquirere & reparare. Quæ
omnia cum sint infinitæ virtutis & potentia, soli DEO propriæ,
opera mero homini præstiti fuissent impossibilia.

LXXIII.

Deinde & hoc spectabat ad Mediatoris officium, quod omni-
um fideiū inde à condito mundo quo vis loco & tempore viven-

D 3

tium.

*Cur Medi-
atorem
bunc oport
tueri esse
Deum.
1. Ratio.*

2.

tium, caput, Rex Advocatus, & salvator esse, eorum necessitates & cordis intima desideria nosse, preces illorum exaudire, pro ipsis apud Patrem intercedere, ab omni malo & ab ipsa morte ipsos liberare & salvare debuit.

Nullum horum ut nuda creatura & homo nisi simul verus Deus fuisset præstare potuisset, cum nudo homini nulla *κωνωνία* realis cum Deo omniscio & omni potente intercedat. Unde scriptura de illo loquens vocat illum Filium Dei unigenitum Joh. 3, 16. Rom. 5, 10. reconciliati sumus per mortem Filii ejus, idem legitur cap. 8, 2.

LXXIV.

Cur debuit fieri Homo.

1. Ratio.

Hominem verò hunc Mediatorem Christum oportuit esse, qui pro peccatis generis humani justitiæ divinæ satisfacere, iram Dei placare, homines à maledictione legis liberare debuit, ideò necessum fuit ut loco nostri poenas & maledictiones legis perferret, crucifigeretur, moreretur, sanguinem suum profunderet. Quia verò Deus in natura sua nec pati nec mori, nec sanguinem effundere potest ideò res ipsa postulavit, ut Filius Dei in unitatem personæ suæ naturam humanam assumeret, & in ea, cum ea & per eam hæc omnia explere posset.

LXXV.

2. Ratio.

Deinde quia homo transgressione sua totum genus humanum perdidit, æquum erat, ut homo quoque sua satisfactione scilicet obedientia & passione totum genus humanum à potestate Satanae, mortis & inferorum redimeret.

LXXVI.

3. Ratio.

Præterea etiam fieri debuit homo, ut majori cum *παρρησία* & *πεποιθήσει* cum tanquam hominem & fratrem nostrum accedere, & auxilium ejus in quavis afflictione implorare possemus. Non enim habemus pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed qui per omnia tentatus est secundum similitudinem aliorum hominum (excepto tamen peccato;) Accedamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ qui est Christus, Heb. 4, 15, 16.

LXXVII.

Porro ex hæcenus positis resultat Christum ceu Mediatorem Unicum V. & N. I. pro omnibus, peccatis actualibus *ισυρροπον* imò *υπερμετρονλυτρον* persolvisse, ut non aliis Mediatoribus & Inter-

Inter-

intercessionibus sanctis, alioque missarico sacrificio incruento, ut Pontificii sibi blasphemie imaginantur, opus habeamus. Ipse enim Christus unus & unicus Mediator tam intercessionis quam redemptionis est: quia huic uni & soli competunt omnia attributa superioris recensita, quæ à tali Mediatore inter Deum & totum genus humanum requiruntur. Unde apud Esa. cap. 63, 3. Salvator italoquens introducit: torcular calcavi solus & de gentibus non est vir mecum, Col. 2, 11. exprimitur quod triumpharet per semetipsum (ad differentiam aliarum victoriarum quæ non comparantur sine labore aliorum commilitonum) & cap. 53, 9. dicitur: ipse vulneratus est propter iniquitates nostras &c. & v. 9. posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum, & Johannes cap. 1, 29. digitum in Messiam intendit inquit: Ecce agnus DEI qui tollit peccata Mundi. Idcirco Act. 4, 12. dicitur, non est in aliquo alio salus, nec enim aliud nomen est sub cælo datum inter homines in quo oporteat nos salvos fieri, de eodem legitur cap. 13, 38. cap. 15, 11. Rom. 5, 8. 1. Cor. 1, 29.

*Christus
pro
omnibus
actualibus
peccatis
satisfecit.*

LXXVIII.

Sic ergo ostensum Christum pro peccatis omnibus actualibus satisfecisse: ulterius demonstrandum est Christum esse Mediatorem nostrum unicum, qui se Deo Patri per sanguinem proprium semel obtulerit ut non opus sit aliis intercessoribus nec alio incruento sacrificio Missæ: quod probamus primum illo classico dicto 1. Tim. 2, 5. Unus est DEUS, unus & Mediator DEI & hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem, pretium redemptionis semetipsum pro omnibus. Heb. 9, 11. Christus accedens summus pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta æterna redemptione in ventum. 2. Et sicut per unius hominis in obedientiam omnes constitute sunt peccatores & inimici DEI, ita quoque per unius Christi hominis obedientiam & intercessionem gratia & solus nobis parata est.

*Christus
est Medi-
ator no-
ster uni-
cus.*

Nec 3. denique pii & fideles bona corporalia & Spiritualia propter dignitatem meritorum vel propriorum vel alienorum, sed omnia juxta formulam præscriptam in nomine & fiducia solius Christi juxta illud Joh. 16, petunt: Quæcunque petieritis Patrem

in no-

in nomine meo dabit vobis. Corruit ergò & in DEUM & Christum injurium atque blasphemum hoc dogma Pontificiorum de mediatoribus sanctis pluribus & sacrificio missæ incruento.

LXXIX.

Nunc ergò superest, ut etiam paucis coronidis loco ex scripturis amplitudinem & universalitatem meriti Christi contra Calvinum & ejus *περὸς τοὺς ἐκλεκτοὺς* qui meritum Christi ad electos tantum restringunt, solidis rationibus demonstremus. Sic enim Beza in respons. 2. part. ad act. colloq. morp. pag. 21. nimis audacter scribit: *Coram tota Ecclesia profiteor falsum, blasphemum, impium esse dicere: Christum sive quod ad DEI consilium attinet, sive quod ad effectum, non minus pro damnandorum, & judicio aeterno adjudicandorum peccatis, passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfecisse, quam pro peccatis Petri, Pauli & omnium sanctorum. Eandem blasphemiam repetens Johannes Piscator haud minimus Calvinismi propugnator, & Beza *ὁμοψήφῳ* in hac verba erumpit: Et si ratio humana etiam in piis offenditur, & nonnulli quoque Evangelica doctrina professores valde tumultuantur cum audiunt doceri, DEUM non VELLE ut SINGULI homines salvi fiant, sed tantum ALIQUI, item Christum non esse mortuum pro SINGULIS hominibus, sed TANTUM PRO ALIQUIBUS.*

LXXX.

DEUS omnes homines dilexit iisque omnibus Filium suum mittere intendit.

Ut igitur conscientia tentati Christiani consulatur, ne omne solatium ex animo eripiat, priori errori de particularitate dilectionis Dei nos hunc Syllogismum opponimus.

Quoscunque Deus ab aeterno non perire, sed à morte transferre vult ad vitam, item quoscunque ita dilexit, ut Filium suum unigenitum iis dederit: eorum omnium inde ab omni aeternitate vult misereri, iisque omnibus filium & redemptorem & salvatorem misit: Sed verum prius: Ergò & posterius.

Major est certa, quia quod sanctissimus & benignissimus Deus promittit illud etiam serio vult.

LXXXI.

Minorem quoad prius membrum sequentia dicta roborant
1. Tim. 2, 4. Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem ve-

nem veritatis non quosdam, sed OMNES ET SINGVLOS per-
venire, omnes & singulos resipiscere atque æternum salvari.
Et ne hæc Dei voluntas ad conversos referatur etiam benignif-
simus Deus addit juramentum sanctissimum, se non delectare
morte improbi in æternum morientis, sed potius velle, ut con-
vertatur & vivat Ezech. 33, 11. Hinc Deus expressis verbis cul-
pam internecionis & interitus æternum pereuntium à se remo-
vens in ipsos Homines transfert Ose. 13, 9. Perditio tua Israel,
sed in me auxilium tuum Matth. 23, 37.

LXXXI.

Assumptum quoad posterius membrum probatur ex Joh.
1. c. v. 9. Erat sermo (Filius Dei) LVX vera illuminans omnem
hominem venientem in Mundum, & Mundus per ipsum factus
est, & Mundus eum non cognovit: in sua venit (missus à Patre)
& sui eum non receperunt. Idem 1. Joh. cap. 4. repetit, nos vi-
dimus & testamur quod Pater misit filium Servatorem Mundi
& pro Electis & reprobis.

LXXXII.

Universalitatem verò meriti Christi quod attinet illam
hisce sequentibus argumentis stabilimus: 1. IIS Dictis, in qui-
bus expressè enunciatur Christum pro toto Mundo mortuum
esse. Primum ante omnia notetur locus 1. Joh. 2, 2. Ipse (Chri-
stus nimirum) est propitiatio pro peccatis nostris, non pro no-
stris autem tantum, sed etiam pro totius mundi: Ubi priori
phrasi credentes includit ad quos suam scripsit epistolam ut pa-
tet ex cap. 5, 13. posteriori verò reliquos etiam reprobos, aliàs fu-
tilis & inutilis foret *πανόλως*: Christus mortuus est non tan-
tum pro peccatis credentium, sed etiam pro peccatis credenti-
um. Similia inspiciantur loca Johan. 1, 29. cap. 3, 16, 17. cap. 4, 23.
cap. 6, 53.

Nec est quod rimulas elabendi in voce Mundi querant illud vocabu-
lum saltem ad universalitatem Electorum restringant. Est enim vox
æquivoca, modò pro præsentis seculo, modò pro mundana con-
ditione & conversatione, item pro hominibus iisque vel uni-
versis, ut hoc loco vel omnibus vocatis, vel etiam reprobis
sumta.

E

Deinde

*Universalitas
meriti Chri-
sti probatur 1.
Dictis in qui-
bus pro toto
Mundo mor-
tuis esse dici-
tur.*

2. *Dictis quæ
innuunt Chri-
stum mortu-
um esse pro
omnibus.*

Deinde hanc Universalitatem meriti Christi probant ea dicta, quæ disertè exprimunt Christum pro omnibus satis fecisse: & mortuum esse Rom. 5, 18, 19. sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem: sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ: sicut enim per inobedientiam unius peccatoris constituti sunt multi, ita & per obedientiam unius justii constituuntur multi. Sicut ergo omnes homines (juxta nervum comparationis) per Adami transgressionem constituti sunt peccatores: ita per Christi obedientiam omnes sunt reparati & constituti filii gratiæ. Sic 2. Cor. 15, 14. & 18. colligit Apostolus: si unus pro omnibus mortuus est, omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus. Quod hoc in loco non soli fideles & electi, sed omnes homines intelligantur patet ex v. 10. omnes enim illos manifestari docet coram tribunali, pro illis verò v. 14. Christum mortuum esse asserit. 2. ex v. 19. & 20. quia ad eos Apostolus verbo reconciliationis utitur, & legatione pro Christo fungitur. Hoc autem præstat Paulus apud fideles & reprobos Act. 13, 46. Rom. 1, 14. Ergo pro illis omnibus Christus ut Mediator mortuus est.

3. *Dictis quæ
indicant Chri-
stum etiam
pro pereunti-
bus mortuum
esse.*

Hanc demum sententiam nostram corroborant ea dicta, quæ testantur Christum pro illis, qui sua culpa pereunt atque damnantur, mortuum esse. Huc pertinet admonitio Apostolica, quæ si nemo, pro quo Christus mortuus, posset perire, esset frustranea Roman. 14, 16. noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus est mortuus. 2. locus extat Heb. 6, 4, 5. & 6. Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cælestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, & gustaverunt bonum Dei verbum virtutesque seculi venturi, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei 2. Pet. 2, 1. Hinc concludimus:

Quos Christus merito suo est mercatus, sanguineque sui Testamenti sanctificavit pro iis etiam mortuus est, & facto opereque ipso satisfacit: Sed qui Christum abnegant eos Christus merito suo est mercatus: Ergo:

Major:

Major per se est manifesta. Si enim reprobi & damnandi sanguine Christi fuerunt sanctificati, quomodo non etiam sanguinem Testamenti ejus pro iis in ara crucis fufum rectè dixerimus? Minor ex allegatis dictis probatur: Ergò stat firma & in concussa nostra conclusio Christum pro omnibus mortuum esse.

LXXXV.

Tandem hanc sententiam nostram confirmat 1. Finis Incarnationis Christi, qui est servare omne quod perierat Matth. 18, 11. Luc. 19, 10.

*Rationes ex
Scripturis de
prompta.*

2. Destructio regni Diabolici 1. Joh. 3, 5. Heb. 2, 4. ad cujus regnum non tantum electorum, sed omnium & singulorum hominum peccata pertinent.

3. Universalis prædicatio Evangelii Marc. 16, 16.

4. Damnatio *αἰσίων* Luc. 8, 16. qui igitur ad tempus crediderunt, pro illis Christum etiam mortuum esse necesse est.

LXXXVI.

Verum insurgunt hic I. Adversarii Calviniani Christum pro multis mortuum esse; Ergo non pro omnibus. Hanc autem objectionem hac distinctione diluimus dicentes vocem multum interdum *συμπληρωματικῶς* pro omnibus ut hoc loco, sic & Dan. 12. Rom. 5, 19. sumi; quandoque pro aliquibus ut quando dicebatur multi baptizabantur in Jordane.

LXXXVII.


II. Objiciunt Christum non pro infidelibus Joh. 17, 9. orasse, Ergo neque pro illis mortuum esse. Sed duobus verbis respondemus, quod Christus ut Pontifex & summus Sacerdos pro omnibus Esa. 53. v. ult. Luc. 23, 34. pro aliquibus ut Pastor & Ecclesiastes rogaverit & intercesserit Matth. 15, 24.

LXXXVIII.

O igitur Christe Dei Verbum, æterni Patris imago, & character substantiæ illius, & Sapientia, & Virtus, & Deus omnipotens, quid tibi pro his omnibus nos egeni retribuimus? Tu enim omnia & nihil à nobis petis, nisi ut salvemur: ac hoc ipsum etiam tu das; & cum accipis (quod petis) gratiam habes propter

pter ineffabilem bonitatem. Tibi gratia qui Esse dedisti, & sic
Esse dedisti, ut gratia frueremur: & nos qui inde prolapsi su-
mus, rursus adducis eò, per ineffabilem tuam demissionem.
Tibi Ergò Fili D E I Unigenite, JESU Christe Salvator & Media-
tor noster unice sit laus, honor & gloria, qui es Deus glo-
riosus & benedictus in sempiterna
secula.

F I N I S.



fic
fu-
L.
ia-

ULB Halle

3

003 792 218




05 A 2447

KD 7







DISSERTATIO¹⁷
THEOLOGICA.

De
CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ
MEDIATORE NOSTRO
UNICO.


Quam
Annunte DEO Ter Optimo Maximo.

SUB PRÆSIDIO
Viri Excellentissimi atq; Clarissimi,

Dn. BALTHASARIS MEISNERI
SS. Theol. D. & Professor Publ. Præceptoris ac
Promotoris sui æternum suspiciendi atque
honorandi.

Examinandam proponit
M. NICOLAUS JACOBI Reichen-
bacensis Variscus.

*Habebitur adjuvante Domini Spiritu ad diem 17. Novemb.
In Auditorio Collegii Friderici.*



WITTEBERGÆ,
Excudebat, Augustus Boreck, Anno 1624.